



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

103. An reus, qui negavit veritatem, poct iudicium finitum, etiam ad mortem damnatus, teneatur manifestare veritatem negatam? Et si reus ob metum tormentorum falsum crimen sibi imposuit, propter quod ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. CIII.

An reus, qui negavit veritatem, post iudicium finitum, etiam ad mortem damnatus, teneatur manifestare veritatem negatam?

Et si reus ob metum tormentorum falsum crimen sibi imposuit, propter quod ad mortem damnatur, an tunc non teneatur se retractare, nisi infamia notabilis in alios redundet, & ea retractatione illi damno obviatur? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 104. aliis 103.

Sup. hoc in Ref. seq. §. ut ad med. & pro doctrina huius Ref. lege in tom. 8. tr. 7. ex Ref. 67. §. Notandum est tertio.

§. 1. **A**ffirmatiuum sententiam docent Ledesma in summ. tom. 2. tract. 8. capit. 24. post secundam conclusionem difficult. 2. Saloniensis in 2. tom. 2. quest. 69. art. 2. conclus. 2. Vega in summ. tom. 2. cap. 89. cas. 2. & 3. Bañez in 2. 2. quest. 69. art. 2. Medina in summ. lib. 1. capit. 14. §. 35. Corduba in summ. questio. 64. punct. 2. & alij, quia in hoc casu reus infamat iudicem, & testes; commouetur enim populus, & scandalizatur, credens à iudice illum iniuste occidi, & testes falsum dixisse.

2. Sed contrariam sententiam ego tenco cum Reginaldo in praxi tom. 2. lib. 24. cap. 7. sect. 6. n. 145. Nauarro in manuali cap. 15. nu. 38. Rodriguez tom. 2. q. 18. art. 9. Pitigiano in tract. crimin. canon. cap. 3. fol. 258. Segura Daualos in director. iudic. c. 17. n. 36. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 16. differ. 3. n. 4. & aliis. Ad argumentum verò contrarium respondeo, quòd in tali casu, nulla sequitur infamia iudici, accusatori, aut testibus; quia omnibus notissimum est, reos solitos delicta negare, imò pusillanimes, ac stulti habentur, si delicta fateantur, & prælumptio stat pro iudicis sententia. Ergo, &c. Vnde Confessarij caueant vige-re reos penitentes, qui ducuntur ad supplicium ad hoc efficiendum. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos, tenet etiam Sanchez in summ. tom. 1. lib. 3. c. 7. n. 11. qui in numero sequenti cum Nauarra, & Rodriguez addit etiam, quòd si reus sibi ob metum tormentorum falsum crimen imposuerat, propter quod damnatur, non teneri se retractare, nisi infamia notabilis in alios redundet, vt ea retractatione illi damno obviatur. Sed hoc in casu nostro rarissimè accidit. Ergo, &c.

Sup. hoc Confessarius legat ex Ref. seq. §. 2. & 3. & §. primæ not. dicti §. & pro vlt. difficult. huius text. in tom. 8. tr. 4. Vide ex Ref. 68. §. 2. in fin. & §. vlt. ad med. & lege etiã à §. Nota.

RESOL. CIV.

An reus, qui in iudicio à iudice secundum ordinem iuris interrogatus, negavit veritatem, qua manifestata condemnaretur, teneatur in conscientia ad retractandum dictum, antequam finitum iudicium, & pronuncietur sententia?

Et an eum esse in malo statu dicendum sit, nisi ad fateendam veritatem, etiam non rogatus se offerat: ac propinde à Confessario absoluenndam non esse, nisi id facere proponat?

Et quid est dicendum, non solum quando iudicium durat, sed etiam quando conuictus damnatus est, ad mortem: an tunc non teneatur in tali casu ad retractandum dictum, & manifestandam veritatem, nisi in aliquo speciali casu notabile alicui tertio damnum sequeretur? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 126.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & mihi olim accidit. Dico igitur duas in hac questione stare sententias. Prima affirmat. Ita Sayrus in Clauis Regia, lib. 12. c. 17. n. 13. Angl. in floribus 2. part. quest. de correctione fraterna, art. 3. difficultat. 7. & pro hac sententia Sanchez ubi infra, citat Bañez, Salo-

nium, Sotum, Nauarram, & vltra illos nouissimè Maderum in 2. 2. tract. 6. c. 3. dub. 1. assert. 4. tenet hanc opinionem. Et ratio est, quia per illam negationem differtur sententia, & ei conceditur appellatio, & defensio, ideò negatione illa iniusta se tuerit; ergo defendit causam iniustam.

2. Sed ego contrariam sententiam probabiliorè existimo, quam docet Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. c. 7. n. 8. & præter Philarchum, quem ipse citat, tenet etiam hanc opinionem Bonacina in tractatu de legibus, qu. 10. punct. 2. num. 8. & Azorius parte 3. lib. 13. cap. 25. dubio 5. vbi sic ait. Quòd si reus legitime interrogatus neget veritatem metu mortis, ad quam iuste damnaretur, an Confessarius teneatur ei præcipere, vt dictum suum retractet, quòd si nolit, teneatur illum ab absolutione repellere? Respondetur, Confessarium non esse obligatum ad cogendum illum, vt retractet dictum suum, quia esset cogere reum ad se prodendum; est tamen obligatus Confessarius monere illum, vt sit animo preparato, & voluntate confitendi veritatem, si iterum rogetur vt prius, quantumuis sit condemnatus ad mortem, quia quoties legitime rogetur, tenetur dicere veritatem, ergo quando non rogetur, non tenetur se prodere; & licet peccauerit denegando, debet tamen esse paratus dicere veritatem, quandoque fuerit iterum rogatus: & Confessarius admonendo reum de hac re, si reus noluerit hanc voluntatem habere, repellere debet eum ab absolutione, quia est in voluntate faciendi contra obedientiam & iustitiam debitam. Hæc P. Azorius.

3. Sed mihi displicet, quòd dicit absolute, Confessarium in tali casu esse obligatum monere reum, vt sit animo preparato confitendi veritatem, si iterum rogetur; licet esset condemnandus ad mortem, hoc, inquam, mihi displicet: nam, vt bene notat Sanchez ubi supra num. 9. cautè se debet habere Confessarius in hoc casu, & citca hoc propositum reorum fatenda veritatis, si iterum rogentur. Si enim credat fore, vt iterum non rogentur, nil debet interrogare de tali reo, ne penitentem exponat periculo denud peccati, habendo propositum contrarium, cum sit diffinitum negotium fateri proprium crimen. Sed satis est, si in genere proponat cauere in posterum peccata. Imò si credat fore, vt iterum rogetur, nec coniciat Confessarius in ipso penitente animum neganda veritatis, non debet etiam ipsum tentare interrogando de hac re; cum tunc non sit in peccato mortali, id enim iam transiit. Et satis est in genere proponere emendam. Et licet opinio contraria vera esset, si penitens sit in bona fide, debet Confessarius non certiorè facere de hac obligatione; quæ latè diximus lib. 2. de marr. tota disp. 38. Ita Sanchez, cuius doctrinam aduersus Azorium debent Confessarij adnotare, quia sic erunt immunes à multis scrupulis, & facile absolutionem supradictis reis impertient. Nota etiam nostram opinionem esse veram, etiam quando iam reus condemnatus est, & iudicium finitum, ac pena mortis, vel alia plectendus: nam in hoc casu etiam non tenetur se offerre, & manifestare veritatem, nisi in aliquo speciali casu, notabile alicui tertio damnum sequeretur, quem casum ait Sanchez nu. 11. fore rarissimum credi: imò moraliter impossibile. Dicendum est igitur absolute, non solum quando iudicium durat, ac reus est sub iudicis potestate; sed etiam quando conuictus damnatus est ad mortem, non teneri ad retractandum dictum, & manifestandam veritatem, quam antea interrogatus à iudice negavit, quicquid in contrarium asserat Vega, Ledesma & alij. Restat modò respondere ad argumentum cõtrarium. Dico igitur, quòd licet causa, quam reus tuerit ex ea parte, qua delicti negatione

Sup. hoc sup. in Ref. tot. §. Verum, & in aliis eius not.

Sup. hoc in Ref. præterit. & lege etiã §. eius primæ not.